



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ

Pichler, Vitus

Augustæ Vindellicorum, Anno MDCCXIII.

Syllogismus 2. De Unitate Capitis visibilis, & necessitate supremi Judicis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39374

SYLLOGISMUS II.

Vera Christi Ecclesia debet habere Caput visibile, & Judicem supremum ac infallibilem.

Sed Lutherana non habet visibile Caput, & Judicem supremum ac infallibilem.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Major probatur evidenter

17. 1. Ex Scriptura S. in qua comparatur Ecclesia Corpori. Eph. 4. Regno. Dan. 2. Domui. 1. Tim. 3. Navis. 1. Petri 3. Exercitui ordinato. Cant. 6. Atqui in corpore debet esse Caput, in Regno Rex, in domo Paterfamilias, in navi Gubernator, & in exercitu Dux quidam supremus; verbo unum Caput supremum, cui omnes pareant, idque visibile. Cum igitur Ecclesia sit Corpus, Regnum, Domus &c. visibilis, ut ostensum de Visibilitate Ecclesie, pariter Rector & Caput visibile ipsi adaptatum sit oportet, subordinatum tamen Capiti invisibili principali Christo, à quo Ecclesia regitur invisibiliter.

Confirmatur 1. Christus defacto suae Ecclesie constituit Caput aliquod sui Vicarium, visibile, & in terris supremum, nempe D. Petrum, dicens ei soli: *Pasce oves meas.* Jo. 21. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.* Mat. 16. ergo D. Petrum constituit supremum Pastorem, cui omnes, quotquot volunt esse oves Christi, sive Apostoli sint, sive Episcopi, sive alij fideles, obedire voluit, e-

jusque doctrinam fidei (hac enim pascuntur oves rationales) in omnibus sequi; consequenter, ne tota erret Ecclesia, infallibilitatem ipsi conferre debuit in *solvendis quibuscumque* fidei controversijs. Eadem autem forma Ecclesie, quam Christus instituit, semper durare debet. Confirmatur 2. Apostolus ait: *Oportet haereses esse.* 1. Cor. 11. v. 19. ergo oportet & Judicem esse visibilem ac infallibilem, qui errantes corrigit, fideles confirmet, dubia solvat, controversias decidat, quem homines adire & audire possint.

2. Ex universali dictamine omnium gentium, usu, & praxi; quippe constat à posteriori, nullam fuisse unquam gentem tam barbaram, quae, postquam semel in societatem civilem coiverat, non sibi aliquod vivum, visibile, & supremum Caput, ac Judicem (abstrahendo, an suprema haec auctoritas sit penes unum vel plures) constituisset. Idque confirmant judicia Philosophorum, qui magistratus omnes probabant, spectaliter tamen Regimen Monarchicum, tanquam optimum. Quae Gentes & Philosophi, quamvis omnino judicant, Deum (vel Deos) esse a-

lio-

liquin supremum rerum humanarum arbitrum, nihilominus tamen aliquem ex hominibus, Deo subordinatum, Judicem cujuslibet Communitatis statuendum esse censuerunt. Si igitur naturale lumen omnibus dicitur, cuiuslibet Communitati præficiendum esse aliquod Caput visibile, & supremum Judicem, Deo quidem subordinatum; quis id negabit Ecclesie Christi, cum & ipsa sit aliqua Communitas, & quidem *ordinata*, cui utique Christus non minus providerit pro sua infinita sapientia & dilectione Sponsa sua, quam providit Natura Communitatibus Politicis. Neque deseruerit Regnum suum secundum visibilem præsentiam, quin ei constituerit ac perpetuo conservet Pro-Regem, qui suas vices suppleat in visibili Regimine (sine hoc enim sensibiles homines non possunt regi connaturaliter) ac omnibus cum suprema potestate præsit tanquam summus Judex.

19. 3. Ex ratione. In qua Ecclesia nullus est Judex supremus, auctoritate infallibilis, ibi immortales sunt lites, interminabiles controversie, nulla in fide consensus, nulla in credentibus concordia, nulla unitas, & quod caput est, nulla firmitas & certitudo in credendo. Ferè sicut, si in aliqua Republica Politica nullus esset Judex & via legitima componendi controversias civiles, metra foret confusio, omniaque litibus personarent & dissensionibus. Ergo necesse est, ut in vera Christi Ecclesia, in qua debet esse pax & concordia fidei, summa certitudo in credendo &c.

existat aliquis Judex supremus, ac infallibilis. Quia & visibilis; quia ut aliquis Judex sit utilis Communitati, debet posse adiri & audiri à Partibus litigantibus, & ita ab eo pronuntiarì sententia, ut Partibus evidenter constet, penes quam sit victoria. Atqui nisi Judex supremus in Ecclesia esset homo visibilis, non posset adiri & audiri ab hominibus, qui sunt Partes litigantes: ergo &c.

Ob. 1. ex Scriptura. *Christi reg-* 20.
nam non est de hoc mundo. Jo. 28. Et cum contentio esset orta inter discipulos, *quis eorum videretur esse major.* Luc. 22. Christus eos reprehendit, & dixit: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Item cum Apostolus Eph. 4. describeret Regimen Ecclesie, nullam fecit mentionem unius Capitis & supremi Judicis, dum ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos &c. Unum Corpus, unus Spiritus* Necdixit: unum Caput visibile, Pontifex, supremus Judex. R. Christi Regnum non est quidem *de hoc mundo*, hoc est, non est mundanum & seculare; est tamen *de hoc mundo*, hoc est, aliquo Capite visibili & Judice supremo instructum, sicut Regna hujus mundi, & inter homines constituta. Christus non reprehendit simpliciter in suis discipulis aliquam præminentiam, sed illam, quæ ambitiosè affectatur, & despoticè geritur, ut sit apud Reges Gentium. Apostolus ibi non descripsit ordinem & Hierarchiam Ecclesie, sed varia enumeravit dona, quæ sunt in Ecclesia. In altero textu implicitè innui.

innuitur *Caput* per verba *unum Corpus*, nam *Corpus* sine *Capite*, & quidem proportionato, monstrum est.

21. Ob. 2. Ecclesia est *Corpus* mysticum Christi: ergo solus Christus est *Caput* Ecclesie; in corpore enim mystico non requiritur *Caput* visibile. 2. Si Ecclesia præter Christum habet aliud *Caput*, est biceps, & monstrum. 3. Ecclesia est *Sponsa* Christi: ergo præter Christum non debet dari alius *Sponsus*, vel aliud *Caput*; nam *vir*, seu *Sponsus*, est *caput mulieris*. Et per se absurdum est, ut *Vicarius Regis* sit *Sponsus Reginae*: ergo licet aliquis esset *Vicarius Christi* in regenda Ecclesia, is tamen non posset esse *Sponsus* & *Caput* Ecclesie. & ad 1. *Dist. Ant.* est *Corpus* mysticum Christi, constans tamen ex meris membris physicis & visibilibus, scilicet ex collectione fidelium, qui indigent *Rectore* pariter visibili & *Capite* proportionato C. A. constans ex membris mysticis & invisibilibus &c. N. A. *Corpus* mysticum dicitur eatenus, quatenus membra Ecclesie constituunt unum corpus morale, à Christo erectum, sanctificatum, & perpetuo gubernandum per internum & in visibilem influxum. Deinde solus Christus est quidem *Caput* Ecclesie principale, & nunc invisibile, hoc tamen non impedit, quò minus admitti possit aliud *Caput* visibile, vicarium, subordinatum. Ad 2. Neque propterea Ecclesia fit biceps, sicut biceps non fit *Regnum Politicum*, si *Rex* abiens constituit *Pro-Règem* & *Vicarium* suprema potestate donatum; sicut *mulier* non fit biceps, si præter *Caput naturale* acquirat aliud morale,

R.P. Pichler Theol. Polemica,

nempe virum. Si Ecclesia non haberet *Caput* proportionatum, scilicet visibile, foret acephala, hoc est, sine *Capite*, satis utique monstrum. Ad 3. N. Conf. Allegoria de *Sponso* & *Sponsa* rectè quidem accommodatur Christo & Ecclesie, sed non in omnibus: sicut nec allegoria de *Capite* & *Corpore* physico in omnibus quadrat; nam *Corpus* physicum non habet unum *Caput* principale, & aliud subordinatum, licet *Corpus* morale & mysticum habere possit. Neque in moralibus absurdum est *Vicarium* esse *Sponsum* *Reginae* subordinatum; licet in physicis desponsationibus absurdum foret.

Minor patet ad oculum

1. Ex evidenti inspectione gubernationis, quæ viger in Ecclesia Lutherana. Lutherani enim non agnoscunt inter se ullum *Principem* sæcularem, aut *Prædicantem*, aut *Superintendentem*, qui toti *Confessionistarum* Ecclesie præsit, sed quisque *Princeps* in sua ditione (independentem ab alterius auctoritate) *Ministerium* suæ Ecclesie instituit, & ordinat: hi autem *Ministri*, à *Principe* sæculari alicujus provincie, vel à *Magistratu* alicujus civitatis constituti, nihil prorsus auctoritatis habent in alijs Provincijs, in alijs Civitatibus, eidem *Confessione* Augustanae addictis. Ita *Prædicantes*, & *Ministerium* *Wirttembergense*, nihil possunt in ditione *Hannoveriana*, *Danicum* nihil in ditione *Saxonica*; *Augustanum* nihil *Ulmæ*, *Norimbergense* nihil *Ratisbonæ* &c.

2. Ex *Confessione* propria Lutheranorum

Ij

22.

norum, sic Lutherus in assertionibus articuloꝝ art. 29. ait: *Via nobis facta est enervandi auctoritatem omnium Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta.* Et alibi: *Capite hoc Evangelium, quia neque Papa, neque Concilij, neque ulli hominum commissum est, ut concludat, quid sit fides. Ideo debet dicere, Papa, tu conclusisti cum Concilio; nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam nec ne.* Et in Præf. assert. articuloꝝ: *Scriptura ipsa per sese certissima, facilissima, apertissima, sui ipsius interpres, omnium omnia probans, iudicans &c.* Sic Hunnius Sess. 13. protocoll. Monac. edit. 2. p. 295. & 302. *Non tantum possunt, sed etiam debent Christiani, iudicium examinare, an decisio facta sit secundum canonem Verbi Dei.* Et quamvis Prædicantes in Colloquio Ratisbon. falsi sint Sess. 9. præter Scripturam S. esse aliquem Iudicem vivum, scilicet ipsum *Ministerium Verbi*, hoc est, Prædicantes; simul tamen addiderunt, hunc ipsum Iudicem non esse supremum, non iudicare auctoritate Prætoria, cui videlicet absolute & sine alia inquisitione obtemperandum sit; ejus iudicium esse non potestatis, sed interpretationis; non absolute infallibile, sed sub hypothese tantum incerta, si videlicet, & quamdiu sequitur ductum Divini Verbi &c. Vide Tannerum Anat. p. 2. Demonstr. 6. §. 2. Nec suaserim ulli Ministerio, ut sibi in iudicando supremam auctoritatem arroget; mox enim, & jure, peteretur ab eo, ut suæ potestatis & infallibilitatis documenta ostenda-

deret, Divinum chirographum &c. Haud dubie ceteri Prædicantes reponerent, se æquè sapere, æquè doctos, probos, à Deo illuminatos, ac Scripturarum peritos esse &c. nec indigere aliorum magisterio &c. Hæc & similia utique humilitas Prædicantica, & spiritus omnibus apostatis propè congenitus, eructare non desisteret.

3. Ex superbo ac notorio contemptu & repudiatione legitimi Iudicis, nempe Romani Pontificis, qui à Christo constitutus Jo. 21. *Pasce oves meas* &c. in possessione muneris Pastoralis Universalis, ac supremi Regiminis jam tempore Lutheri per 15. sæcula extitit.

Ob. 1. Scriptura S. est optimus Iudex, nec opus est alio: Scripturam S. habent Lutherani: ergo. p. N. M. Ratio negandi est 1. Quia Scriptura est lex: sed lex in nulla Republica humana est Iudex, sed præter leges constituitur Iudex, cum auctoritate juxta leges pronuntians. 2. Quia non est Iudex Universalis, & omnium controversiarum; nam plurimæ sunt lites de ipsa Scriptura, scilicet an sit aliqua Scriptura Divina, quænam illa sit, quibus libris comprehensa, an non corrupta in rebus fidei & morum, & plerumque quisnam sit legitimus sensus Scripture &c. has autem controversias non potest decidere sola Scriptura; cum ista specialiter & clarè non pronuntiet, an interpretatio Lutheranorum sit vera, an verò Calvinistarum, aut Catholicorum &c. sed post litem eadem tibi verba exhibeat, quæ ante litem, adeoque litem non decidat. 3. Quia in multis est ob-

23.
scura

seura etiam fidelibus, & iniquorum pe-
nitentibus, unde & Christus & Apostoli Scrip-
turam Veteris Testamenti, quæ erat de
Christo, interpretabantur Auditoribus
suis. 4. Quia etiam summa mysteria,
uti Trinitatis, Processionis Spiritus S.
numerum Sacramentorum &c. non fa-
ctis exprimit, aliæque ad salutem necessa-
ria, uti Baptismum parvulorum, &c.
5. Quia utique litteram nudam Scrip-
turæ seu corticem non assignabunt pro
Judice Controversiarum Lutherani,
sed interpretationem genuinam illius ac
sensum legitimum. *Nec enim pater-
mus, in Verbis Scripturarum esse Evan-
gelium, sed in sensu; non in superficie,
sed in medulla &c. Gra de periculum
est, in Ecclesia loqui, ne forte de inter-
pretatione perversa de Evangelio Chri-
sti hominis fiat Evangelium, aut,
quod pejus est, diaboli.* Verba sunt S.
Hieron. in c. 1. epist. ad Galat. to. 6.
Atqui de interpretatione genuina & le-
gitimo sensu Scripturæ porissima lis est,
nec à Scriptura deciditur: ergo.

Dices. Spiritus S. in- & per Scrip-
turas loquens est Judex, utique legiti-
mus: ergo. R. N. A. tum quia non
omnia mysteria per Scripturas nobis lo-
quitur clarè, & quidem necessaria ad
salutem, tum quia non decidit con-
troverfias de ipsa Scriptura agitabiles,
tum quia non clarè explicat sensum ge-
nuinum Scripturæ, tum quia Judex
legitimus debet esse talis, quem partes
litigantes possint adire, audire, & ita
distinctè percipere, ut altera pars evi-
denter sciat, se causam obtinuisse, altera
evidenter sciat, se causam perdidisse,
quantum est ex parte hujus Judicis.

R. P. Pichler Theol. Polemica.

Atqui Scriptura, vel Spiritus S. loquens
per Scripturam, non ita distinctè dicit
sententiam, ut altera pars evidenter
sciat, se causam obtinuisse, altera se
eam perdidisse, quantum est ex parte
hujus Judicis: ergo. Denique si Scrip-
tura, vel Spiritus S. per Scripturam
loquens est sufficiens Judex, quare
constituunt Lutherani tot Ministros
Verbi, & Prædicantes ad discenda fidei
dogmata? Ad quid perditio hæc in in-
utilibus his hominibus sustentandis cum
eorum familia, uxore, & liberis, si Scrip-
tura, & Spiritus S. loquens in- & per
Scripturam ipsos sufficienter doceat
tanquam certissimus, infallibilis, & u-
niversalis Judex? Spiritus S. non tan-
tum per Scripturas voluit nobis loqui,
sed etiam per Ecclesiam & instrumenta
animata per Vicarium Christi.

Ob. 2. Magistratus Politicus potest
esse Judex legitimus etiam in contro-
versijs fidei: ergo Lutherani habent
legitimum Judicem. R. N. Ant. Ra-
tio negandi est 1. Quia iste Judex non
est Universalis per totam Ecclesiam
Confessionistarum, nam una Regio vel
Civitas sicut in Politicis, ita nec in Ec-
clesiasticis, paret Principi vel Magistra-
tui alterius Regionis vel Civitatis. 2.
Quia non est infallibilis, cum juxta
Lutheranos omnis homo sit fallax &
mendax. 3. Quia caret legitima po-
testate, quia à Christo nunquam est di-
ctum Magistratui Politico: *Tibi dabo
claves Regni Cælorum: super te adifi-
cabo Ecclesiam meam: quodcumque
solveris: pascet oves meas &c.* à popu-
lo autem, quæ hanc spirituales pote-
starem ducendi animas ad finem su-
per-

Ii 2

per-

pernaturalem ipsamet non habet, accipere non potest. 4. Quia Ecclesia primitiva per 300. annos regebatur à Capite visibili & supremo quodam Iudice, non tamen à Principe Politico, quia per illud tempus serè totum fuit nullus Princeps secularis, Christianam fidem amplexus. Idem serè dic de Ministerio Verbi cujuslibet ditionis privatae.

25. Ob. 3. Spiritus S. hominem interiorius docens & illuminans est sufficiens Iudex: hunc habent Lutherani sibi loquentem: ergo. R. N. M. Ratio negandi est 1. Quia probari non potest, quòd iste spiritus cujuslibet hominis privati sit Spiritus S. testimonium, & non potius spiritus privatus, dictamen erroneum, imaginatio inanis. & pertinax, vel omnino spiritus atri magistrum. 2. Quia diversa secta, imò diversi homines ejusdem sectae allegant singuli testimonium Spiritus S. internum, & quidem ad probanda dogmata contradictoriè opposita. 3. Quia nulli homini privato promissa est divinitus infallibilitas. 4. Quia fideles debent uniformiter instrui & regi: sed spiritus internus diversis diversa dicit, 5. Quia Iudex inter homines debet sensu percipi, ejusque sententia: sed internus spiritus non potest sensu percipi à partibus litigantibus. 6. Quia nulli privato competit potestas coactiva in alios: hæc autem vel maxime requiritur in Iudice; aliàs ejus sententia non curatur. 7. Si fideles omnes se dirigi crederent à Deo unice per internas inspirationes, fieret mera confusio, cum nullus curaret suos Præpositos,

& hinc 8. frustra constituerentur Pastores, Doctores, Concionatores &c.

An Ecclesia Romana habeat visibile Caput, & Iudicem legitimum ac infallibilem?

R. Habet, & semper habuit, nimirum Romanum Pontificem, vel cum Concilio Universali, vel sine hoc aliquid definitum pro articulo fidei, utpote qui est Vicarius Christi in tertis, & Successor in Pontificatu D. Petri, cui Christus omnes omnino oves suas sine ulla exceptione pascendas commisit Jo. 21. super quem edificavit Ecclesiam suam, cui illimitatam solvendi & ligandi potestatem dedit Mat. 16. pro quo rogavit, ut non deficiat fides ejus Luc. 22. Atque Romanum Pontificem pro Christi Vicario, ac visibili Capite, & supremo Iudice semper à temporibus Apostolorum agnoverunt omnes fideles, ac tota Ecclesia Catholica, quæ propterea Romana dici consuevit. Isque in omnes Provincias Christiani orbis exercit suam supremam potestatem & universalem, instituendo vel deponendo Episcopos, ferendo leges, & censuras, dispensando, appellationes admitrendo, hæreses damnando, Concilia Universalia convocando, approbando, ijs præsidento &c. Proinde est in antiquissima & perpetua possessione supremi Regiminis, & muneris pastoralis Universalis. Vide Theses nostras de *Papatu nunquam errante* per totum, præcipue art. 4. & infra cap. 4. §. 4. de Capite Ecclesie. Con-

Confirmatur ex SS. PP. S. Irenæus, qui vixit II. sæculo post Christum, l. 3. c. 3. ita pronuntiat: *Ad Romanam Ecclesiam propter majorem principalem necessesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles.* S. Hieron. to. 2. epist. 58. ad Damasum de hypost. nomine: *Hic in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat; ego interim clamito, si quis Cathedra Petri jungitur, meus est.* Optatus Milev. inde probat. 2. contra Parmen. Donatistas non pertinere ad Ecclesiam veram, quod non essent conjuncti cum Syricio Papa. S. August. de Cæciliano Episcopo sic loquitur epist. 162. *Cum se videret Romana Ecclesia, in qua semper Apostolica Cathedra viguit Principatus, per communicatorias litteras esse conjunctum.* Vide Coccium l. 7. art. 6. Præterea observatum est, illas Ecclesias, quæ ab isto Capite, controversiarum Judice supremo, Pontifice Romano defecerunt, aruisse velut ramos à radice præcisos. Sic contigit Ecclesijs Asiaticis, Africanis, & Græcis, quæ quamdiu cum Romano Pontifice communicarunt, tamdiu erant in flore, ita ut celebrarent integra Concilia, multos numerarent viros. vel doctrina, vel sanctitate, vel utraque hac dote simul illustrissimos. Nunc verò his aliisque omnibus ornamentis destitutæ squalent &c.

Ob. 2. Integra Concilia, etiam cum Papa, errarunt sæpius: ergo Ecclesia Romana non habet infallibilem Judicem. R. Cùm hujus loci non sit ad singula in particulari descendere, quod

factum est in *Papatu nunquam errante* art. 5. hic summariter & generaliter adduco novem fontes, ex quorum uno vel pluribus semper dari poterit sufficiens responsio ad casus particulares. 1. Concilia, ex quibus formantur objectiones, subinde sunt tantum Particularia, non Generalia: solum autem decisiones Generalium Concc. faciunt articulum fidei. 2. Vel non sunt unita cum Pontifice, aut approbata ab eodem. 3. Vel approbata quidem, sed solum ex parte, & non secundum ea, in quibus est error. 4. Vel, quod adducitur, non est sententia Concilij, sed alicujus tantum Patris. 5. Vel, quæ profertur, solum sunt argumenta, probationes, & disputationes præviæ; hujusmodi autem non sunt de fide, sed solum de fide est ipsa sententia definitiva, sive id præcisè, in quo est decisio. 6. Vel verba Concilij subinde depravantur, & perperam citantur ab hæreticis. 7. Vel saltem malevolè trahuntur in perversum sensum. 8. Vel tantum continent errorem facti, non juris, seu circa factum aliquod particulare, nullam habens connexionem necessariam cum decisionibus fidei. Cùm per errorem Papæ circa factum particulare tota Ecclesia non inducatur in errorem circa res fidei & morum. 9. Vel, si circa mores sit decretum, tantum est error quoad *circumstantias*, scilicet loci, temporis, personarum &c. non quoad substantiam; si enim erraret quoad substantiam, præcipiendo vitia & prohibendo virtutes, tota Ecclesia deberet credere, vitia esse bona, virtutes malas, & sic

erraret in fide, & desineret esse sancta in decretis morum. Si verò erret quoad circumstantias modi, personarum &c. nimis multas & graves leges ferendo &c. Leges istae non sunt iustae, adeoque nec obligatoriae, atque sic Ecclesia, cum non teneatur eas acceptare, non inducitur in errorem. Ex his fontibus semper haurire poteris aliquam vel plures responsiones, praesertim si in historia Ecclesiastica probe versatus fueris.

28. Ob. 2. Pontifices Romani jam saepe errarunt, & sibi met contradixerunt: ergo Pontifex Romanus non est legitimus Judex. R. D. A. errarunt aliquoties in vita & moribus tanquam homines privati. C. A. errarunt in rebus fidei tanquam Doctores publici, quae definiunt, & ex Cathedra loquentes. N. A. & C. Quid ad casus particulares respondendum sit, vide in *Papatu nunquam errante. art. 7. & 8.* Vel consule primum enumeratos novem fontes, ex quibus perenda sunt responsiones ad objectiones ex Concilijs petitas; multi ex ijs, praesertim posteriores, etiam hic servare possunt.

Dices 1. Si Pontifex potest labi in alia scelera, non amplius est ratio, cur non possit labi in peccata contra fidem: ergo potest errare etiam in fide; cum intellectus non sit firmior voluntate. R. N. A. nam si Pontifex erraret in fide, quae definiens, tunc tota Ecclesia erraret in fide, cum omnes fideles teneantur sequi hunc Judicem, sibi à Deo constitutum, tanquam oves Pastorem:

totam autem Ecclesiam Deus non potest permittere in errorem labi. Si verò Pontifex ut homo privatus labatur in alia peccata, non pervertitur tota Ecclesia. Deinde intellectui Pontificis est promissa infallibilitas in fide, non verò voluntati immutabilitas in virtutibus alijs. Pro Petro rogavit quidem Christus, *ut non deficiat fides ejus*, non autem rogavit, ut non deficiat charitas, justitia, castitas &c. illius.

Dices 2. Est probabile, quòd Pontifex, ut homo privatus, possit incidere in haeresim (sit, quòd eam docere, & Ecclesiae credendam proponere nequeat) ergo potest esse haereticus: ergo non requiritur unio fidelium cum Pontifice tanquam Capite. R. Trans. Enthymema, quod à Bellarm. & alijs multis non male negatur; quæro autem: vel Papa haereticus esset notorie talis & notorie contumax? Quo casu deponitur, & desinit esse Pontifex, nullusque fidelium tenetur amplius ei obedire. Vel esset haereticus occultus? Tunc non esset vitandus, sed Ecclesia cum ipso externam saltem communionem habere deberet; id tamen sine ullo suo periculo; cum Deus non possit permittere, ut Papa occulte haereticus vel aliquid definiat, vel (si permiserit eum aliquid definire) ut definiat falsum & haereticum; eò quòd infallibilitas Pontifici promissa & data sit intuitu Ecclesiae, ne scilicet tota Ecclesia inducatur in errorem.

ARTI-